



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

- | | |
|---|--|
| XXXIX. <i>Vt ieiunium non soluat
tur ante vesperas.</i> | <i>in iunio remittendis.</i> |
| XL. <i>A quibus rebus & quomodo
abstinendum sit.</i> | XLIII. <i>Vt coniuges inuicem se
iam abstineant.</i> |
| XLI. <i>De crebra corporis & san-
guinis Domini susceptione in
quadagesima.</i> | XLIV. <i>Vt populus excitetur ad
crebram corporis & sanguinis
Domini susceptionem, &c.</i> |
| XLII. <i>De litibus & debitis in ie-
iunio remittendis.</i> | XLV. <i>Vt Missa publica non of-
ficiat peculiaris.</i> |

P R Æ F A T I O.

OBSEURO vos, fratres dilectissimi, vt erga subditarum plebium profectum & emendationem vigilantissima cura laboretis; qualiter illis viam salutis ostendentes, & eos verbis & exemplis instruentes, & vos de eorum profectu, & nos de vestra fidei agro, Domino nostro Iesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, vt hæc capitula, quæ ad emendationem vitæ breuiter digessi, assidue legatis, & memoriæ vestræ commendetis. Et bonorum operum cultibus, siue sanctarum scripturarum lectionibus componatis vitam, & emendetis, & cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cælestia pergere certetis.

C A P I T V L A.

I.

Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quibus regendarum animarum cura commissa est: & pro his qui negligentia nostra pereunt, rationem reddituri sumus; pro his vero, quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus: nobis enim a Domino dictum est: *Vos estis sal terræ.* Quod si populus fidelis cibus est Dei, eiusdem cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum esse nostro gradui secundum, & pene coniunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in ecclesia, ita nimirum presbyteri ceterorum discipulorum Domini vicem tenent; & illi tenent gradum summi pontificis Aaron; isti vero filiorum eius: vnde oportet nos memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis, vntionis; vt nec vos ab eadem dignitate